

naverimus eo unguere. quamquam melius facient etiam, si perseveranter aquam potaverint: vitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt.

Non praeterit me habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum in hoc libro scriptorum, contendant forsitan se quoque habere eadem composita; sed si pondera aut effectus comparare voles, longe 5 diversos invenies. ego enim ipse eodem nomine multa composita, non eisdem ponderibus et rebus, interdum habeo, sed his maxime probatis utor. nec utique adfirmo non posse et alios eadem habere; nam et ipse ab aliis accepi, sed raro. scio quosdam ocularios simpliciter tradentes compositiones, meque multum elaborasse, ut veras et incorruptas acciperem, 10 conscius sum mihi. neque illud rursus dico, novas et non aliquibus notas me in hoc libro congesturum compositiones, verum etiam quasdam divulgatas et, ut ita dicam, publicatas: eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam veniunt.

## Ad aurium dolorem

15

XXXIX. Ad auriculae et tumorem et dolorem sine ulcere prodest herbae urceolaris aut cucurbitae ramentorum succus recens et tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus. item bestiolae multorum pedum, quae tactae complicant se in orbem pilulae rotundissimae similem (catoecidius onus aut polypodas Graeci hoc genus animalium vocant) 20 oleo domestico complures infervectae vase ferreo bene faciunt. prodest et gliris pingue et gallinae adeps et medulla bubula liquefacta tepensque infusa.

XL. Sed praecipue picis flos, quod pisselaeon appellant, cum oleo communi mixtum, ita ut tertia pars sit olei. nam et dolorem sedat et fere non 25 patitur suppurationem fieri et, si facta fuerit, eadem res persanat. ad summam ego ipse diu vexatus ab aure, cum multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios complures sanavi. florem